

V K  
2509









Wk. 106.

4

1004

Vk  
2509

J. Joh. ITTIGIUS, Phys. P.P.

# DECANUS

STUDII BONARUM ARTIUM  
AC PHILOSOPHIÆ  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

# Orationem

De Reformatione B. Lutheri

ipsis Martinalibus  
habendam,

*facuris Auditoribus  
officiosè indicit.*



M. Jacobo Thomasio.

*De quibusdam vesitatis testibus, a Flavio prætermissis:  
Joanne W. Episc. Nijss. And. Poole, Frichenhusio*







Vod Principibus solenne est, ut magnum aliquod atq; memorabile facinus in Provinciis suis edituri monitores præmittant, quorum iudiciis animi pariter subditorum atq; oculi in futuri operis expectationem erigantur: idem præpotens DEUS fecit, cum sancto Lutheri ministerio religionē à squalore & fordibus Pontificiis repurgare decrevisset. Excitavit subinde pios homines, qui sub illo plus quàm Ægyptiæ servitutis iugo, aliis tacitè gementibus, nec nisi ad secretos angulos suspiria sua clam allidentibus, liberam vocem palam emittere ausi, iam doctrinam Romanensium juxta cum moribus incusarunt, iam vindicem Ecclesiæ minati sunt DEUM, iam prælagiis etiam quibusdam feliciora Pœnitentia tempora designaverunt. Testium hujusmodi Veritatis insignem ac locupletem Catalogum texuit Matthias Flacius Illyricus, per certos seculorum ordines digestum postea à Simone Goulartio Sylvanectensi. Nec omnes tamen memoravit satis aliqui felix in hoc argumento industria Flacii. Plures suggereret monumentorum veterum diligens excussio, alios quidem aliis celebriores clarioresq;. Horum ex numero liceat nobis producere Johannem VI. Episcopum Misenensem, è nobilissimâ Salhusi-onum gente oriundum, Sanè quæ de hoc memorant  
David

LIBRARY  
UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG



David Chytræus, Georgius Fabricius, Matthæus Dresse-  
 rus, talia sunt, ut optimo jure Testibus eum aggregent  
 Veritatis à Flacio prætermiſſis. Eſſe autem nobis  
 hujus Viri eò dulcior recordatio debet, tum quia testi-  
 monium Veritati perhibuit in hujus Academiæ vici-  
 niâ: tum quia historia ejus implicatam habet mentio-  
 nem aliorum duum Confessorum, Andreæ Proliſ, &  
 Georgii Frichenhuſii, quorum utrumq; Lipſia noſtra  
 gremio excepit, alterum nascentem, alterum morientē.  
 Ut vendicare ſibi hinc & ipſa partem laudis poſſit, quæ  
 eodem ſeculo duos Lutheranæ reformationis jamjam  
 imminentis Antecambulones alterum genuerit, alteri vi-  
 ctum præbuerit vivo, mortuo ſepulturam. Sed felicior  
 fors Andreæ fuit, quippe qui luculentum ſortitus in Ca-  
 talogo Illyrici locum ex eo tempore aliorum quoq;  
 ſermonibus celebrari paſſim & famâ non obſcurâ flo-  
 rere cœpit. Frichenhuſii apud Flacium nulla, apud alios  
 pertenuis memoria impetrare debet, à nobis certè, qui re-  
 liquias viri in ipſâ Æde Academicâ ſervamus, ne planè  
 ſepultam eam cum ipſo eſſe patiamur. Sed ad eum com-  
 modè nos ducet narratio de Salhuſio. Hic ex Miſeneniſi  
 Decano factus eſt Epiſcopus anno octogefimo ſeptimo  
 ſuprà milleſimum quadringentefimū, gravifſimo Com-  
 petitore uſus Melchiore Meccavio, tum Præpoſito Ca-  
 pituli, poſteà Præſule Brixinenſe, & Cardinale Tituli S.  
 Stephani in monte Cælio: cujus aliàs munificentiam cur  
 grati prædicemus, qui ſacrarum pariter & ſecularium li-  
 terarum ſtudium in hâc urbe profiteſcemur, juſtiſſimas cau-  
 ſas indepti ſumus. Præſulatu functus Salhuſius per annos  
 totos triginta, ipſum illud tempus extremâ ſenectute at-  
 tigit, quo Papales indulgentias labefactare cœperunt af-  
 fixæ publicè theſes Lutheri, ſeqvente demùm anno, qui  
 ſuperioris ſeculi fuit decimus octavus, rebus mortalium

*Chyt. lib. II.  
 Chron. Sax.  
 f. 55. Fabric.  
 Annal. Miſ.  
 ſub A. 1487.  
 & 1508.  
 Dreff. Part.  
 IV. Iſug.  
 p. 157.*

*Flac. Catal.  
 Teſt. Ver.  
 p. 1030. ed.  
 Baſ. 1556.*





exemptus. Antecessorem habuit Johannem V. successo-  
rem Johannem VII, utriq; quàm nomine similis, tam  
studiis longè dissimilimus; cum alterum boni Patris fa-  
miliis virtutibus, alterum sinceritate Religionis opidò  
superaret. Conflaverat Antecessor, (quem quidem vix  
biennium præfuisse constat,) æs alienum florinorū Rhe-  
nensium 21400. Salhusius dissolvit, reditûs auxit, colla-  
psa ædificia reparavit, arcem Wurcinensē à fundamentis  
exstruxit. Successor Salhusii ex orientem Evangelii lu-  
cem non ferens, inimicos illi obduxit ac fovit Emserum,  
Cochlæum, Alveldium, Sylvium; Salhusius bellum ge-  
rens cum æruscatoribus Papæ, eorumq; ultimo tandem  
Tecelio quoq; illudens, pulcherrimis facinoribus pro-  
pinquæ Reformationi prælusit. Nimirum è sacro codi-  
ce, quem familiarem habuit ultrà genium seculi, hunc ab-  
stulerat fructum, ut scintillas in eo accenderet DEUS, qui-  
bus inter lumen ac tenebras distingvere posset. Memo-  
morabilis ejus vox fuit, Georgio quoq; Anhaltino Prin-  
cipi annotata, legentem se sacra Biblia in Religionem in-  
cidere, nec moribus ævi sui, nec persuasionibus de fide  
congruentem. Itaq; ut suæ saltem Ecclesiæ facies com-  
ptior esset, admonente conscientia pro virib<sup>9</sup> elaboravit.  
Quâ in re fidelem ipsi operam præstitere Wilhelmus  
Betschitius Canonicus, & Andreas Proles Augustinian<sup>9</sup>,  
eujus tum eruditio & pietas inter monachos præcipuè  
celebris erat. De horū enim consiliis & Statuta Misenen-  
sis Ecclesiæ, & libros, quibus orando, legendo, cantan-  
do sacerdotes uterentur, emendari curavit, & sic emen-  
datos imprimi. Habuit iste Proles crebrò illud in ore, rem  
Christianam forti opus habere & magnâ reformatione,  
quam quidem se propè jam instantem videre. Ac vidit  
sanè Lutherum ipse decrepitus juvenem, habuitq; inter  
Auditores Magdeburgæ. Nec dubium est, quin cum hoc  
Prole

Georg. Anh.  
Oper. Germ.  
f. 352<sup>r</sup>



Prole sæpè sermones de corrupto Religionis statu mis-  
cuerit Salhusius, alterq; alterum & confirmaverit monen-  
do, & erexerit consolando. Utiq; superstitiones multas,  
qvas animis hominum profundè infixerat stabilita tot  
annorum curriculo simplicitas, non ipse modò impro-  
bavit Episcopus, sed improbantibus etiam præsidio fuit,  
defendentibus terrori. Quo loco Missam, qvo Indul-  
gentias, qvo Monastici ordinis vitam, qvo tot ad pom-  
pam magis & fastum, qvàm veram pietatem compositas  
ceremonias habuerit, apophthegmata ejus produnt. No-  
bili cuidam de fundatione sacri perpetui, qvod Missam  
nominant, consilium expetenti in hunc modum respon-  
dit: pulcherrimum quidem in eqvo membrum esse ocu-  
los, sed si totum eqvi corpus nihil esset præter oculos, id  
ipsum, qvod ornamento fuerat, jam futurum prodigio;  
haud obscure insanos Missarum amores castigans. De-  
dicationem qvorundam templorum aut dissuasit, aut  
qvo ad potuit, distulit, cum videret ultra modum super-  
stitiones venales crescere. Quantum de Monachis, qva-  
les quidem ea ætas plerosq; ferebat, sibi promiserit, æsti-  
mare hinc licet, qvod monachum cum videret, solitus  
fuit dicere: nullum animal audacius esse eo, qvod è cu-  
cullo prospiceret. De Indulgentiis verò sic sentiebat,  
stultos esse, qvi pecunias mitterent eam in cistam, cui re-  
serandæ clavem non haberent. Intelligebat videlicet,  
venundationibus istis non id agi à Romano Flamine,  
ut seu viventium, seu mortuorum animabus esset me-  
lius, sed ut spiritus intertraheretur crumenis emptorum.  
Quare & Emissarios illos, qvi papyraceas merces au-  
reis permutabant, extremo quamdiu vixit odio  
prosecutus est, nullumq; per suam ditionem spacium  
concessit cauponandi. Sed de hoc postea. Frichenhu-  
sius enim noster, anteqvam ad Teccelum veniamus,



vindicandus est nobis ab oblivione, Paulini Coenobii, quod jam incolimus Academici Lipsienses, Dominicanus monachus, non ex eorum numero in quos despuere solebat Praesul, sed talis omnino quem patrocínio suo ac tutelâ dignum putaret. Hunc enim, adversum bullas de esu butyri concionantem defendit. & pro eo contra Canonicos Fribergios liberam tulit sententiam, cum indignaretur, Germanis edere absq; venia nummis emptâ non licere, quod Romæ palam & impune per totum annum venderetur. Historiam hanc Georgio Fabricio debemus, è quo postea sumptam mutuo alteri Memorabilium suorum Tomo inseruit Wolfius. Apud hos annus adscriptus est 1508. cum vellent nempe unum in locum congerere Multa Salhusii dicta pariter & facta, qui omnino, quem diximus, annum attingit vivendo. Neq; aliud quid voluisse scriptores illi censendi sunt: ne quis forte id anni ad Georgium quoq; trahat Frichenhusium. Quem undecim annis ante mortuum esse, testatur Epitaphium. quod lapidi ejus sepulchrali incisum hic exhibemus: *Anno Domini M. CCCC. XCVII. VII. Januarii mortem obiit Reverendus Pater Frater Georgius de Frickenhausen sacre Theologiae Professor.* Visuntur hæc pene aram Templi Paulini latere dextro. Coeterum ipsum Georgii cognomen gentilitium quod neq; Fabricius, neq; Lapidida prodidit. (Frichenhusius enim appellatus fuit à patriâ,) debemus indicio Clarissimi Viri Joachimi Joannis Maderi, posteaquam ille Anonymi cujusdâ centuriam scriptorum insignium, qui in Lipsiensi, Wittenbergensi, & Francofordianâ ad oderam Academicis à fundatione ipsarum usq; ad annum 1515. floruerunt, ante hos quatuor annos vulgavit. Ibi enim Georgii nostri elogium his verbis inchoatur: *Georgius Orter, natione Franco, patriâ Frickenhausensis, professione prædicator, & disciplina*

*Fabric. Anal. Misn. sub A. 1508. V Wolf. II. Mem. f. 18.*



ciplinâ Lipzensis, perspicacis viri ingenii, eloquio paratissimo. Sed ad  
Salhusium revertor. Is non minore cum animi magni-  
tudine præconibus indulgentiarum restitit, quàm  
Frichenhusium propungavit. Enimverò Livonienses In-  
dulgentiarii, Romæ literis ab Alexandro VI. & Julio II.  
impetratis suas merces exponere cupiebant in ejs urbibus  
nomine & autoritate Antistitis Magdeburgici. Sed hos  
ille planè rejecit, Ingenuæ Misenenensis Ecclesiæ libertatē  
objiciens, omnibusq; suæ diœceseos locis arcuit nugi-  
vendos. Ac tametsi adversarium illi se oggerat Chri-  
stianus quidam Baumhauer, qui ex illis pecuniam faci-  
ebat, adhibitis duobus Negotiatoribus Philippo Scir-  
pio, & Hermanno Sacerdote Hildeshemio: causam ta-  
men obtinuit Præsul. Hæc Julio II. Pontifice gesta. Julii  
successor Leo X. novis Indulgentiarum emisiss in Ger-  
maniam Diplomatis fatalem Regno Pontificio ruinam  
attraxit, Tecelio parum feliciter rem gerente. Cum hoc  
Impostore minus negotii Salhusio fuit, quod monstrū  
illud calamo Lutheri potius configendum, quàm Epi-  
scopi autoritate terrendum DEUS decrevisset. Fecit au-  
tem impudentia Nundinatoris ac temeritas omnem mo-  
dum supergressa, ut ultimū hunc fore institorem indul-  
gentiarum haud quaquam vanus augur pronuntiaret.  
Salhusius. Quem & arrisisse perhibent, cum Canonicus  
quidam subjecisset, lingvâ Turcicâ Tecel significare Di-  
abolum. At enim non poterat hic Diabolus in felicio-  
rem Exorcistam incidere, quàm Lutherum. Qui tametsi,  
cum Indulgentias impugnare primum inciperet, nihil  
minus animo præsumperat, quàm ab hac velitatione  
prælium pendere, quod in capitalem cladem sedis pon-  
tificiæ olim desineret: consilium tamen DEI, Ecclesiam  
suam pristino nitore redonare volentis, didicit demum  
ab



ab eventu. Laudem divini operis cras volente Deo  
in Auditorio Philosophico post sacra matutina ele-  
ganti Oratione persequetur optimarum artium studio,  
morumq; politionum ornamentis commendatissimus  
nobis Juvenis PAULUS MULLERUS, Phi-  
los. Baccal. & Magisterii Candidat. Qvi paren-  
tem JOHANNEM, Doctorem Theologum vel ex  
scriptâ Lutheri defensione celeberrimum, Hamburgen-  
sis Ecclesiæ Pastorem in æde Petro-Paulinâ primarium,  
ac Sacri Ministerii eâ in urbe Senioremem venerandum,  
imitari cupiens, non meliore in argumento stilum oc-  
cupare se posse credidit, quâ si Reformationē Lutheri suis  
ornaret eccomiis. Petenti temp<sup>o</sup>, ipsum Martini diem, B.  
Luthero sacrū, libenter indulgimus. A Magnifico Acade-  
miæ Rectore, à Facultatū omniū Procerib<sup>9</sup> dignissimis,  
ab universis deniq; qvi bonas literas colunt, unius semi-  
horulæ audientiam benignam Oratori nostro amanter  
rogamus, Non Pietatis tantū hoc officium erit, sed  
benevolentia, quam nobis elocatam omni studio vicis-  
sim demereri conabimur. P. P. pridie Mar-  
tini d. 10. Novemb. Anno,  
M DC LXIV.

*Literis Colerianis.*





DEO  
ele-  
dio,  
imus  
Phi-  
aren-  
rel ex  
rgen-  
rium,  
dum,  
n oc-  
ri suis  
em, B.  
cade-  
simis,  
s semi  
nanter  
t, sed  
vicis-

ULB Halle

3

004 969 812



f

1077









*Georg. Anh.*  
*Oper. Germ.*  
f. 357<sup>r</sup>

exemptus. A  
rem Johanni  
studiis long  
milia virtut  
superaret. C  
biennium p  
nensium 21.  
psa ædificia  
exstruxit. S  
cem non fe  
Cochlæum  
rens cum æ  
Tecelio qu  
pinqvæ Re  
ce, quem fa  
stulerat fru  
bus inter lu  
morabilis e  
cipi annota  
cidere, nec  
congruent  
ptior esset,  
Qvâ in re  
Betschitius  
eius tum  
celebris era  
fis Ecclesia  
do sacerdo  
datos impi  
Christiana  
quam quic  
sanè Luth  
Auditores



successo-  
imilis, tam  
ni Patris fa-  
onis opidò  
videm vix  
norū Rhe-  
xit, colla-  
ndamentis  
angelii lu-  
Emserum,  
bellum ge-  
no tandem  
ribus pro-  
acro codi-  
li, hunc ab-  
DEUS, qui  
t. Memo-  
altino Prin-  
gionem in-  
ous de fide  
acies com-  
elaboravit.  
Wilhelmus  
gustinian<sup>9</sup>,  
s præcipue  
ta Misenen-  
lo, cantan-  
x sic emen-  
in ore, rem  
ormatione,  
e. Ac vidit  
ouitq; inter  
in cum hoc  
Prole

